



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

De Eo Qvi Fvrtive Ordinem suscepit. Titvlvs XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

Innocentius III. Bonon. Episcopo.

Tu litera a continebant, quod (sicut ex relatione quorundam receperas) Presbyter diaconatus ordinem prætermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri. Ipse tibi quoque secreto confessus est, se pro certo nescire, si restaliter se haberet, sed ex quo boni viri hoc adferebant, inter quos fuerat conversatus, credebatur assertioni eorum, eo quod tempore, quo ordines inferiores susceperat, inter annos discretionis fuerat constitutus: [1 & 2.] Mandamus, quatenus condignam poenitentiam pro huiusmodi negligentia injungas eidem: qua peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare precures, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotii.

[1 Tu igitur ipsum ad Apostol. sed. transmittens, nobis supplicasti humiliter, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur ejus miseria condolemes, s. i. per Apostol. sed.]

DE EO QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT. b.

TITVLVS XXX.

CAP. I.

Qui furtivè recipit ordinem, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio, sine dispensatione Papa, in se suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere non potest: sed si excommunicatio lata non erat, Episcopus & Abbas potuerunt dispensare. hoc dicit, cum duobus sequentibus.

Alexander III. Ligenen. Episcopo c.

Veniens ad nos P. nobis d. expoluit, se furtivè ordinem diacon. suscepisse. Vnde f. r. respon. quod si non fuit à te vel ab aliquo Archidiaconorum, vel prelatorum tuorum sub anathematis interminatione prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad sacerdotale officium condigna satisfactione imposita (nisi alia impediant) pro arbitrio tuo dispenses. Si verò interminatio anathematis super hoc facta est, moneas eum, ut in aliquo monasterio seu canonia habitum suscipiat regularem: cui, ex quo in habitu illo aliquantulum tempore fuerit laudabiliter conversatus, poteris misericorditer providere: alioquin nulla ratione concedimus eum ad sacerdotalem ordinem promoveri.

CAP. II.

Summatum est supra capitulo proximo.

Celestinus III. e.

Cum H. lator, f. presentium, sicut nobis sua quaestione monstravit, ad tuam (ordinationis causa) presentiam accessisset, iuxta consuetudinem patrie sibi quatuor minores ordines contulisti: quibus non contentus, subdiaconatum temerario ausu recepit. Quia verò idem clericus in hoc facto multum excessit: Mandamus, quatenus eum in minoribus duntaxat ordinibus celebrare permittas. Si verò domum religionis intraverit, & ita mores ejus exegerint, (Abbas si voluerit) in aliis poterit ordinibus dispensare.

CAP. III.

Summatum est supra cap. 1.

Idem.

Innotuit nobis g. quodam G. clericus & alii duo de iudice tua ad G. quondam Segant. Episcopum, ut ordines reciperent ab eo, accesserunt. Cumque ab eo

a Cap. 1. eod. tit. in 2. compil. b Quid sit ordinem furtivè suscipere, præter Pannormitanum & aliorum, prædit Hostiensis in summa eod. tit. & Bernard. Diaz. in præf. crim. can. c. 21. c Lincon. ad Lavenon. d C. 1. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. Lat. sub Alex. III. p. 26. c. 9. e Clemens III. f C. 1. eod. tit. in 1. compil. g Cap. 2. eod. tit. in 2. compil. vid. allegata in præced. e. hoc eod. tit. & Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 12. 13. & 14.

dem Episcopo sub excommunicationis sententia fuisset inhibitus, ne quis se ad duos ordines suscipiendos ingereret, prædicti clerici nihilominus subdiaconatus & diaconatus ordinem clandestinè susceperunt: [1 & infra.] Consul. tur taliter respond. quod ordinati in susceptis ordinibus de juris rigore ministrare non debent. Verum, tamen ad religionem aliquam voluerint se transferre, & peracta poenitentia pro arbitrio tuo eis injuncta, eundem laudabiliter fuerint conversati, processu temporis cum eis poteris de nostra licentia dispensare, ut postmodum susceptorum ordinum executione latentur.

[1 Quia igitur quid tibi agendum sit pro his nos duxit tuo s. consulendi.]

DE EXCESSIBVS PRAELATORUM & SUBDITORUM.

TITVLVS XXXI.

CAP. I.

Movet prelatos abstinere à gravaminibus subditorum, & aliqua enumerat, & geminam poenam imponit contra facientibus.

Alexander III.

Pervenit b. ad audientiam nostram: [1 & infra.] Cum autem Presbyteros, qui filios & fratres benignè ac fraternam debeatis charitate fovere: Mandamus, quatenus in eos tallias & exactiones indebitas exercere nullatenus præsumatis, nec de cetero irrationabiliter gravetis, vel inhonestè tractetis eosdem, aut sine iudicio capituli suspendere, vel eorum ecclesias interdicto subicere attendetis, neque duas ecclesias, quarum unam sufficere videbitis, permittatis illos tenere, nec aliquid excommunicare sine ordine iudicario præsumatis. Scituri pro certo, quod si huiusmodi rumores de vobis iterum ad aures nostras pervenerint, pro tantis excessibus vos taliter puniemus, quod timore poenae vestrae ceteri à similibus abstinerebunt.

[1 Unde si verum est, misamur plurimum: & adversus vos de iure movemur, quod in Presbyteros, qui sunt in vestra jurisdictione constituti, singulis annis, quasi in ser vos mercenarios, talliam faciatis, quibus nisi ad voluntatem vestram pecuniam solverint, divinum officium interdicetis, & vos vilitè & inhonestè interim tractatis, quod ipsos iacui despicibiles reddatis. Ideo si hac vera sunt, gravi debetis ultione ferri.]

CAP. II.

Non potest Episcopus sine causa ecclesiam alteri subiectam ab illius subiectione & obsequio liberare.

Idem Cantuariensis Archiepiscopo.

Ad hæc d. quoniam Episcopus plures ecclesias à consuetudine & obsequio Archidiaconorum liberatas constituit & immunes, per quod redditus diminuit eorundem: Mandamus, quatenus factum Episcopi super hoc corrigas & emendes, & ita provideas, quod præfatis Archidiaconis consuetudines, quas Presbyteri in ecclesiis suorum Archidiaconatum debent, plenarie conserventur: & illis debita reverentiam exhibeant & honorem.

CAP. III.

Habens subiectionem seu collationem beneficiorum, illud pro suo usu ceteris non potest, seu sibi conferre.

Idem Exoniensis Episcopo.

Ad aures e. nostras pervenit, quod quidam Archidiaconi tui se in ecclesias, quæ in suis Archidiaconatibus vacant, auctoritate propria intrudere non ve-

a Temporum. b Ca. 1. eod. tit. in 1. compil. c Vid. l. 2. in prin. C. ad l. l. ul. repe. & institut. de excom. s. hodie autem, in fin. d Cap. 2. eod. tit. in 1. compil. & post Concil. Lateran. p. 24. ca. 4. e Ca. 3. eod. tit. in 1. compil. & post Conc. Lateran. sub Alexan. III. part. 24. c. 3.